



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

XXV. Quia mundi perditus est Inventrix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Et, quid tibi retribuam pro tantis beneficijs, quæ mihi fecisti, liberasti me de ore leonis, & de tormentis inferni gravissimis animam meam. Cui Mater JEsu ait. Precor te nè de coetere in adulterij peccatum cadas, nè fiat tibi novissimus error pejor priore: precor te iterum ut de coetere festum Conceptionis meæ annuatim devotè celebres 6. Idus Decemb. & ubique celebrandum prædices. His dictis Virgo coelum repetijt, Sacerdos ex aquis egressus imperata executus.

Simile aliud refert P. Joannes Gans Imperatorius Concionator in *Quinquatua de Annunt. B. Virg. discurs. 2.* Puella nomine Alexandra à duobus procis petebatur, qui zelotypia ipsius capti, invicem se peremerunt: eorum affines acti dolore vindictam sumpturi Alexandram clam interfecerunt, & caput puteo iniecerunt. Post quinque menses res S. Dominico Divinitus innotuit, jussusque à Deipara accedere puteum, & caput evocare, res mira! caput è profundo putei ascēdit, & professum fuisse sibi donatum à B. Virgine, nè impœnitens moreretur. Tum confesum S. Dominico, & ab eo absolutum expiravit. *Jpsa Virgo S. Sma apud B. Brigitt. lib. 1. cap. 9.* hæc dixit. Omnes dœmones verentur hoc nomen (Maria) & timent, & audientes hoc, statim relinquunt animam de unguibus, quibus eam tenebant, sicut enim avis, quæ in prædam unguis, & rostrum habet, si audierit sonum aliquem relinquit prædam, sic dœmones audito nomine meo, statim animam quasi territi relinquunt.

25. Quia mundi perditus est Inventrix.

S. Sabbat Men. 5. Jan. ode 9. In te primi parentis subsistit lapsus, ultra pergendi, facultate sublatâ: nam per Filium tuum in baptismo instituto malum est omne submersum; te proinde honoramus veluti Causam obtentæ puritatis. Quare cum S. Joann. Damasc. *Ecc. Græca 27. Jan. ode 4.* Tu es aureum Thuribulum, Domina, illo immateriali, & oculis hominum intolerabili carbone refertum, in quo constagnavit rebellionis Adami chyrographum à Christo conceptum; undè magis te vocibus salutare debemus, ut per quam facta est omnibus gaudiorum, deliciarum, & fructuum celestium copia, pro ijs quos in paradiso terrestri perdidimus, nimirum substituta: humanitas enim ita Divinitati in Christo unita, ut carboni accenso ignis. S. *Cesarius Dialog. 3.* Pro loco Virginis, nimirum Evæ, perpetuam Virginem Sanctam Matrem suam suscitavit, pro illius pœna, huic salutem per proprium servum Gabrielem misit, in hæc sanatû, quod illa deliquerat. *Serg. Hieropol. orat. de Natali Mariæ.* Quæ ex Davidico semine nascitur, vitæ Mater est, tenebrarum Expultrix, Adæ Reparatrix, Evæ Revocatrix, immortalitatis Fons,

O O

corru-

corruptionis Interitus, ac Liberatrix. Et paulo post. Hæc jam nascitur, & una cum
 ipsa mundus renascitur, & renovatur. *S. Andr. Cret. hom. 2. de dormit. Virg.* Sola præ-
 ter naturam, fuit electa ad naturam revocandam, sola servijt Opifici universæ na-
 turæ. *Meneologus 5. Maij ode 3. ait:* Mors instar fluminis ruens apud te Virgo per-
 didit vires, quo sanè factò permoti Primitias te immortalitatis vocamus. *Idem*
2. Jun. ode 9. Collaudemus Radicem immortalitatis, Paradisum ratione pollen-
 tem, atq; totius Orbis terrarum Theaurum grandem. In hac enim Virgine in-
 gotium mundi salvandi confectū est, simulque singulis hominibus originalis pec-
 cati venia parata. *S. Ioan. Damasc. in Men. 12. Aug.* Equidē videbaris ô Virgo esse filia
 Adami collapsi, at revera eras tu ipsa Genitrix Dei eundem restituentis in integrū.
S. Bruno in psal. 105. Hæc linea incipit ab Eva, & desinit in Mariam, in principio
 est mors, in fine vita consistit, mors per Evam facta est, vita per Mariam redita
 est, illa à diabolo victa est, hæc diabolum ligavit ac vicit. *Hugo de s. Vict. serm. 47.*
Instit. Monast. Benè B. Dei Genitrix se veluti Palmam exaltatam in Cades gloriatur,
 quæ spiritualibus hostibus potenter, & gloriosè subactis, non dolore criminum,
 sed amore præmiorum compuncta suavissimè potabatur. *Bernard. serm. 2. in Nativ.*
Domini. Neq; indignum videtur si coelorum Regnū fidei Mariæ comparetur, quæ
 & reparatur. *Et Richard. lib. 6. de laud. Virg.* Hæc est Mulier fidelis, per cuij fidem sal-
 vatus est Adam, vir infidelis, quæ se fellerat infidelitas primæ mulieris. *Idem dixerat*
Virginem lib. 2. Coadjutricem Christi in passione, & redemptione humani generis.
 Quod deducit *S. Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 10. parag. 10.* In genere causæ efficientis
 post Deum, sub Deo & cum Deo, quia nobis ipsa illum genuit, qui nos omnes
 recreavit seu regeneravit per passionem suam, virtutem gratiæ conferentem in
 Sacramentis, & ut Filium suum gigneret, suis virtutibus de congruo promeruit.
 Causa materialis fuit hujus Virgo recreationis nostræ, quia Spiritus S. de puris-
 simis eius sanguinibus consensu mediante accepit, quod in corpus formavit Chri-
 sti, per quod redemptio nostra & recreatio sunt facta. Causa verò formalis, quia
 sua conversatione celesti speculum est omnibus convertendi se ad Deum. Causa
 denique finalis, quia totum opus redemptionis post Deum in Christi Filij ejus, ut
 homo est, ejus honorem & gloriam est ordinatum, & propterea seniores coronati
 ante pedes Agni deponunt. *In Antolog. Greg. nov. 26. Oct.* Te Causam incorru-
 ptionis honoramus: Tu enim Virgo immortalitatem subistentem nobis comple-
 visti. *Ibid.* Sanans formam corruptam mortalium, ô castissima, hanc ex te induit
 manens quod erat, hominum Amator. *B. Petrus Mauritius Prof. 2.* Cælum gaudes
 terra plaude, nemo mutus sit à laude, ad antiquam originem, redit homo per Virgi-
 nem.

nem. Idcirco *Innoc. 3. serm. de Assumpt. B.V.* dixit: Cùm aurora sit finis noctis, & origo diei merito per auroram designatur Virgo Maria, quæ finis damnationis, & origo salutis fuit, finis vitiorum, & origo virtutum. Id verò à *S. Sabba Ecclesia Græca acceptum retulit in Menæa 3. Jan. ode 7.* Tu peccati spinas venenatâ cuspide pungentes, remediorum quæ præbes inundatione obtundis ò grævida Deo, benedicta & semper intacta, sineque viro Numen enixa.

26. Quia est Fuga Dæmonum.

S. Ioan. Damasc. 27. Jan. ode 9. ita Virginem salutari: Salve Portus serene! salve impermeabile, & dulcissimum Mare, quod Pharaonem spiritualement in profundum demergit: quale Mare? *S. Bonav. in spec. cap. 1.* O quam amarum & timendum Mare, hoc est Ægyptijs, ò quam amara & timenda est Maria dæmonibus! Et simul *Ecclesia Græca in Men. 4. April.* Salve Fons sanctificationis, quem nemo unquam exhauriet. *Ambros. de insit. Virg. cap. 3.* Levavit Virgo hunc mundam fœnore peccatorum. Narrat *S. Petrus Coelestinus opusc. 6. cap. ult.* de quodam milite scelerato, qui tamen quotidie manè, & serò Salutationem Angelicam Virgini dicebat. Huic pluribus annis dæmon specie famuli servivit, ut eum secum abriperet, si fortè quandò Salutationem omisset, donec tandem per quendam virum sanctum agnitus dæmon, & repulsus. *Idem refert cap. 11.* de quodam viro devoto, qui cùm noctu Ecclesiam accedere causâ orationis vellet, vidit undique circumfusos dæmones: procidens itaque orat, Ave Maria, & statim cadunt dæmones, & hoc iterabat, quoties illi assurgebant.

Narrat *Hodeghemius part. 1. lect. 1.* de quadam puella, cùm gravissimè eam dæmon infestavisset, ac ad fenestram altiore domus detulisset, ut præcipitaret inclamavit Ave Maria, tum dæmon: Si in hac hora Mulierem illam non invocasses, occidisset te: & ipse in grandem molosseum conversus, per eandem fenestram desiliit. *S. Cyrill. Alexand. hom. 6. Ephesi dicta contra Nestorium.* Per hanc dæmones fugantur, per hanc diabolus tentator de cœlo decedit, per hanc prolapsa plasma in cœlum recipitur. *Theodor. Heracleota Psal. 44.* verba illa: *Astitit Regina à dextris tuis*, ita de nostra Diva interpretatur. *Alius pro Astitit legit: Stabilita est*, id est firmiter, & immobiliter stetit, nam portæ inferi non prævalerunt adversus eam. *Ex quo S. Theoph. orat. in Men. 16. Jan. ode 5.* Multorum me scelerum ò intaminata, oneribus prægravem alleva. *Et 17. Jan. post oden 3.* ò inculpatissima Conceptoris Sponsa me celeriter à dæmonum machinationibus erue. *Et ode 8.* O intaminata